

Tours 36 (lat)

XXXVI CESSIO A DIE PRAESENTE

¹Dum ²fragilitas seu casus humani generis pertimescit, ultimum vitae terminum subitanea transpositione venturum, oportet, ut non inveniatur unumquemque inparatum nec sine aliquo boni operis fructu migranti de saeculo. Sed dum in suo iure et potestate quisque consistit, praeparet sibi viam salutis, per quam ad aeternam beatitudinem valeat pervenire.

Idecirco ego in Dei nomine **ille**, pertractans tam de Dei parte quam et reverentia sancti **illius** seu animae meae remedium, caedo ad sacrosanctam ecclesiam sancti **illius**, quae est constructa infra urbem **illam** in honore sancti **illius**, ubi **ille** abba et rector praeesse^a videtur, non³ *occultae sed publicae, non privatim sed palam*, cessumque in perpetuo iure legitimo esse volo. Et de iure meo in iure et dominatione ipsius ecclesiae trado atque transfundo, hoc est locum^b rem proprietatis meae, **illum**, situm in pago **illo**, in condita **illa**, cum omni integritate vel adiecentiis suis, hoc est cum terris, mansis, casis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus et immobilibus, pecuniis, peculii^c utriusque sexus, praesidiis vel omni supellectile. Quantumcumque ibidem praesenti tempore mea videtur esse possessio, totum et ad integrum, rem quisitam et inquisitam, per hanc cessionem a die praesente ad ipsam sanctam casam delego et confirmo^d ita ut ab hodierna die, quicquid exinde pars ipsius ecclesiae eiusque rectores de ipsa re facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Et ipsam^e sanctam ecclesiam plus habere volo quam me vel ceteris heredibus meis.

In cessionibus vero licet poena non inseratur, mihi tamen pro rei totius firmitatis placuit inserendum, ut, si ego ipse aut ullus de heredibus meis *et reliqua ...*

^apraeesse] *auf Rasur* Wa₁

^blocum] *auf Rasur über der Zeile nachgetragen* Wa₁

^cpeculii] *verb. aus peculis* Wa₁

^dconfirmo] *verb. aus confirma* Wa₁

^eipsam ... ecclesiam] *für ad ipsam sanctam ecclesiam* Wa₁, *Ze.*; *quia ipsam sanctam ecclesiam* Roz.

¹[*Ze. Add. 1*]

²*cf. Marculf II,4*

³*cf. Brev. Alar. V,1 interp.*